

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0839

0837


0843

0833

0848

Salomonis, transfugerunt. Nostri autem, qui super muros stabant, in vicum proximum descenderunt et ad portam septentrionalem cucurrerunt et effractis seris et repagulis remotis portam patefecerunt et exspectantem foris multitudinem intromiserunt, qui per vicos discurrentes strictis gladiis aetati non parcentes aut sexui in ore gladii perstringebant omnia. Porro virtus bellica hostium tota in templo et atrio erat parata se defendere a nostris; instructa autem acie nostrorum ad templi impugnationem magno cum robore accesserunt et quinque a Saracenis repulsi fuerunt nostri. Quinto autem conserto bello tandem cornu eorum dextrum confregerunt, quo dissipato tanta in eos caede debacchati sunt, ut in sanguine occisorum equitarent in nonnullis locis atrii usque ad genua equorum. Numquam fuit visus tantus simul sanguis humanus, nam praeter eos, quos occiderant nostri per domos, vicos et civitatis plateas, in solo templo et atrio decem millia infidelium prostrati et gladio jugulati sunt. Inter quos mille gladiis confossus interiit Caliphas barbarus rex Jerusalem, quem nostri repererunt sub murorum ruina latitantes. Sic ergo capta est civitas sancta anno 1099. die 15. Julii, feria sexta, hora 9., anno tertio, ex quo Christianorum populus tantae peregrinationis animos assumserat.

Subjugata autem civitate populus fidelium depositis armis in spiritu humilitatis cum lacrimis dimisso templo cruento inquinato ad templum Christi sanguine confertum dominici sepulchri processionaliter properabat, episcopis et sacerdotibus in sacris vestibus praecedentibus. Ingressi autem templum dominicae resurrectionis cum ingenti laetitia cuncti in suis linguis et notis cantabant carmina paschalia et omnia loca sancta templi devotissima processione visitabant, et quod mirabile est dictu et devotum ac delicabile auditu, in omnibus his affuerunt manifeste et patenter milites et peregrini armati, qui dudum cum gladiis infidelium pretiosam mortem susceperant, quos maior pars de exercitu vidit, et juramentis affirmabat, quod dum murum civitatis ascenderunt, stabant supra murum milites defuncti apud Antiochiam et alibi, armati et laeti, et adscendentibus scalas manus porrigabant eosque animabant, nec aestimabatur, quod vivi hac



Ende

Anfang